

20296.

MELETEMATA NONNULLA DE HERBA  
CANNABIS INDICAE ET DE LACTU-  
CARIO.

DISSE R TAT I O I N A U G U R A L I S

P H A R M A C O L O G I C A

Q U A M

C O N S E N S U E T A U C T O R I T A T E  
G R A T I O S I M E D I C O R U M O R D I N I S

I N

U N I V E R S I T A T E L I T E R A R U M C Æ S A R E A D O R P A T E N S I

A D G R A D U M

D O C T O R I S M E D I C I N A E

R I T E A D I P I S C E N D U M

L O C O C O N S U E T O P A L A M D E F E N D E T

A U C T O R

*Augustus Kelterborn.*

D O R P A T I L I V O N O R U M .

T Y P I S V I D U A E J. C. S C H Ü N M A N N I E T C. M A T T I E S E N I .

M D C C C L I X .

**I m p r i m a t u r**

haec dissertatio, ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XVIII m. Maji a. MDCCCLIX.

NF 131.  
(L. S.)

**Dr. Buchheim,**  
ord. med. h. t. Decanus.

**AVUNCULO DILECTISSIMO**

**CAROLO MEHLBERG**

**HOC OPUSCULUM**

**OFFERT**

P21734

**A U C T O R.**

## PRAEFATIO.

---

Quoad refert varia cannabis Indicae praepara-  
tata, publici juris facta atque usui therapeutico  
accomodata, recentiorum temporum sententiae in-  
ter viros doctos, et quidem pharmacologiae exper-  
tos, prolatae de partibus quibus illarum efficacia  
maxime contineantur, quum inter se minime con-  
gruant, quumque pharmacopola Petropolitanus  
Carolus Huelsen, qua est comitate, gratum  
mihi faceret, quod non tantum extracto alcoholico,  
sed etiam herba cannabis Indicae ipsa suppeditan-  
dis mihi aderat, quare oblata hac facultate com-  
moda fruens partes plantae efficaces, quantum  
posset, eruendi et constituendi occasionem quin  
praetermitterem, haud alienum duxi.

Cujus propositi tenax earum rerum tantum-  
modo ratione habita, quarum in primis pharma-

cologiae interesset, his, quae ad partem historicam, chemicam ac botanicam, necminus ad bibliographiam literasque pertinerent, valedicendum censui, eo magis, quo studia de cannabis Indica, Dr. Martio<sup>1)</sup> auctore, promulgata, quantum eidem reor, nihil fere desiderandum reliquissent.

Quae autem inferiores scripta in medium protulerint, eorum, quatenus rem attingant mihi propositam in *commentationis* decursu mentionem faciam.

**D**e lactucario verum, hoc tantummodo referendum habeo, similem ad rationem, qua cannabis Indicae extractum, disquirere ipsum me voluisse, eo consilio, quo melius comparatio institui posset inter partes utriusque plantae efficaces. Hoc experimentum quare secius sperato processerit, in altera hujus *commentationis* parte, in qua lactucarium pertractatur, argumenta infra proponam.

**R**ei propositae ex parte solummodo me suffecisse haud abnuerin, utpote quae impedimentis multis difficultatibusque variis implicita sit, quan-

tum ex infra gestis satis quisque perspectum habeat; successum tamen qualemcumque habui, professori celeberrimo, praceptoris dilectissimo Dr. Buchheim solummodo debo, qui re et consilio mihi semper adfuit, cujus quam sub auspiciis disquisitionem hanc subierim, grates quin referam animi ex voluntate intimas, hoc loco publico non possum.

1) Pharmacologisch-chemische Studien über den Hanf von Dr. Georg Martius, 1860. Stuttgart: Cotta.

Quattuor scilicet usque ad quinque granis p. d. assumtis effectum manifestum respondisse, jam patuit, quum ternis exactis horis semper actio vitalis adacta cresceret mox dein deminuta decresceret. Qui effectus senis vel septenis granis ingestis, jam luculentiores se praestitit; vertigo enim, exaltatione modo praegressa, insistens mox me exhaustum viribus coegit, ut, qua eram conditione sedem aliquam peterem aut in lecto decumberem; quo in statu vel horam fere dimidiam perseverando, tum me recreavi. Hac ratione virtutem extracti satis probatam habens, ad separandas singulas partes, illud constituentes, animum quominus inducerem nihil jam impedivit. Quem ad finem explorandi causa aetheris ope pericula nonnulla facta, partem quandam extracti, et quidem tertiam in aethere docuerunt esse solubilem. Parte illa solubili, sensim sensimque adjiciendis aetheris haud magnis copiis, deinceps extracta, aethere ipso quidem destillatione expulso, residuum obvium perviride, spissum, quantum fieri potuit, exsiccatum est. Portionem, quae in aethere solvi non potuissest, extracti ullius effectus expertem esse pro explorato mox habebam, quum post grana quindecim plusve p. d. consumta, ne minima quidem illorum, quae supra retuli symptomatum observata sint.

Alia prorsus erat ratio partis in aethere solubilis, cuius nempe quinque grano sufficient ad symptomata modo relata, nec non vertiginem ipsam luculenter provocanda.

## P a r s p r i o r .

### **Extractum cannabis Indicae alcoholicum.**

In plurimis plantis extracto alcholico partes efficaces praecipue inesse, quum pateret, illud extractum disquisitionibus a me instituendis, eo magis adhibui, quod, ut infra dictum erit, partes efficacia praeditas in eo contineri, jam fui persuasus.

Extractum vero tali modo paratum est. Parte una herbae concisae cum quattuor alcoholis partibus, pondere specifico 0,812 per quattuor dies digesta, tum expressa et satis decanthata, spiritum vini in balneo aquoso segregavi. Alcohol, quem tali modo excipiebam, dein iterum herbae infundebatur, et post operationes, modo dictas, iteratas extractum sic obtentum, utrumque jam in unum commixtum est; quod tunc offerebat colorem perviridem, sapore quidem erat amaro, qui sensui aliquid acre praebebat, et odore ingrato putido instructum.

Omnium primum jam maximi momenti erat, ut statueretur, inessetne efficacia aliqua extracto nobis parato, annon; dein quanta copia opus esset adhibenda ad effectum certum aliquem provocandum.

Quum autem plantarum adipes neque minus substantias resinosas in aethere solvi posse constet, pars quaedam materiae, cuius nunc modo mentionem feci, cum acido acetico medicinali tractata est, ea spc, fore ut similem ad normam, qua multae aliae resinae efficaces utantur, quae in acido acetico sint solubiles, partem efficacia praeditam extrahenti mihi eodem prope modo offerat. Partibus, in acido acetico quum solvi nequarent, in filtro residuis, ex his, quae per filtrum percolata essent aqua destillata apposita, resina colore fulvo tincta, eximie splendens, satis spissa obtenta. Cujus quum decem grana assumpsissem, nullum accidit symptoma memoratu dignum, quumque quinis granis extracti effectus insignis respondisset, hanc ad resinam vero parandam pars totius adhibita esset, fieri alioquin non potuit, quin jam resina haec, vice efficaci aliqua fungens, multo minoribus dosibus corpori ingesta, profecto eadem symptomata provocasset, quod scilicet non evenit. Par fuit ratio resinae, quae aquae ope tractata ex acido acetico non erat separata, quo evaporando est adepta. Quoad colorem et consistentiam, eadem fere praebebat quae prior, cuius utriusque ob copiam minusculam obviam disquisitionibus ulterius instituendis non dignum visum est.

Extracti vero hujuscemodi, quo jam diximus, patati acidique acetici ope tractati, pars non solubilis nihil vis insitae peculiarisve efficacie detrimenti ceperat immo vero lucrum quoddam fecerat.

Quandoquidem heri posset, ut pars efficax adhuc usque substantiis plantae resinosis inesset, hanc ad quaestione forte disceptandam, extractum liquore kali caustici diluti tractatam, iterumque denuo aquae destillatae ope elotum, resinam depositum e fusco fulvo splendentem, mediocriter spissam, quae tamen dosibus proportione haud exiguis assumpta (gr. x jj), effectus cuiusque exsors apparebat. Massa aquae ope a resina liberata, colore imbuta subviridi, filtrando quum nequiret obtineri, idcirco magnesia sulfurica illi apposita, dein per filtrum transmissa, residuum praebuit, quod exsiccatum, dosibus ad quindecim grana usque sensim adauitatis inventum, neque ullum tamen exhibuit effectum. Qui hoc factum sit, certe nescio; num fortasse partes efficaces decompositae sint, an forte resinae subsidium, quo solvi posset, adeps scilicet, ademptum sit: quod vero non apparuit, quum resina in oleo provinciali, quamvis soluta effectus ullius expers tamen esset. Dignum quidem, quod miretur, id videtur esse, materiam odoris compotem, ne flocci quidem hujusmodi tractando mutationes subiisse, quumque praeparato efficacia peculiaris esset subtracta, jure aliquo concludi licet, materiam efficacia instructam, hiscum substantiis nullam rationem habere posse. Ejus tamen rei quin infra mentio injiciatur.

His modo relatis experimentis, quum quaestio de resinarum natura et indole efficacibus, neutquam expe-

dita et absoluta esse videretur, alia denuo instituerentur pericula necesse fuit.

Quem ad finem pars aliqua extracti, experiendi gratia, spiritu in vini dissolvebatur; cui tum sensim guttatumque aqua destillata affundebatur, donec turbaretur solutio; qua jam filtro percolata, carbone ossium ope colore exuta, alcohol, qui inesset, evaporando tum demum est expulsus.

Resina hujusmodi obtenta, quamvis penitus depurata non evadisset, nullo modo decomposita quin esset, fieri tamen non potuit, perinde ac residuum, aqua affusa praecipitatum, perviridi imbutum colore, haud omnino sane resinarum exsors esset.

Quarum quum vero pars plurima remota esset, vel, efficacie extracti causam maximam hae resinae si attulissent, vel, si forte simulcum illis pars efficax segregata esset, nullum est dubium, multo minori inventae dosi, quin gradu majori symptomata ab extracto effecta provocassent. Quod nimurum mox luculenter evenit, nam post terna illius substantiae grana assumta, symptomata supra memorata exstiterunt; dum quinis denis residui granis nullus respondisset effectus.

Ad has resinas, neque minus partes alias extracto forte insitas diligentius perquirendas, uncia extracti una est adhibita, et alcoholis ope, ponderi specifico qui aequabat 0,880 est tractata; quum eniti periculis experiendi causa factis, alcohole, illum concentrationis

gradum retinente, separationem optimo cum successu fieri, jam ad liquidum pervenisset.

Quo facto, ut loco superiore retulimus, ad transmissionem per filtrum, decolorationem carbonum ossium ope, tumque ad alcoholis evaporationem deinceps suscipiendas nos converteremus licuit.

Substantia, quam tali modo obtainimus, fulvo erat tincta colore et splendida; aqua in frigida e fonte hausta imposita quum esset, rigescens, atque in massam mutata est duram fragilemque; quae tamen calori, qualis esse solet in cubiculis, quum exposita esset, naturam et indolem rursus indubat tenacem et viscosam; quoad odorem attinet extracto illa neutiquam erat dispar, et quidem sapore instructa per amaro; linguae quum imposueris, quae roderet.

Ea tum sexies deinceps coquebatur ex parvis semper copiis aquae destillatae, quae initio colorem offerebat intense fulvum; tum demum helvolo tingebatur.

Extracto calido per filtrum colato, residuum illius tenuę, ulteriores in eo disquisitiones quin fierent non permisit. Fluido turbido iterum refrigerato perque filtrum transmissio sors fuit cadem.

Eo consilio, ut perquireremus virtutem vimque physiologicas, quum reactionem acidam adesse convenisset, extractum igni puro superexpositum est atque evaporatione exsiccatum. Cujus residui, grano dimidio p. d. primum sumto, sensim dein ad quindecim grana usque scandenti nullus mihi evenit effectus.

Ad efficaciam vero quod refert substantiae ex aqua coctae, ipsam increvisse eo elucebat, quod binis jam et dimidio grano adhibitis efficiebatur, ut eadem quae ternis granis respondissent, symptomata provocarentur.

Haec igitur materia efficax coquendo colorem induerat pallidiorem et naturam multo spissiorem; tum iterum, quo adipes aliaque forte admixta separarentur, alcoholе ponderis specifici 0,880 apposito tractavi, cui deinceps parvas tantummodo illius copias adjiciebam.

His quidem saturatis et decanthando amotis, residuum admodum exiguum exstitit: perinde atque id, quod superesset residuum in aethere denuo solutum.

Quin igitur materiae hujusmodi nobis acceptae pars cannabis Indicae efficax insit, huic sane rei nihil jam dubii relictum videtur.

Qui autem fiat, ut partes herbae volatiles vice hac efficaci fungantur, ea, ex supra allata observatione, qua patet, praeparatum liquore kali caustici tractatum efficacia sua esse tota destitutum, nihilosecius odore integro servato, haec dico ab ulla fide abhorrere.

Parum enimvero fiduciae injectatur dictis praeviis commentationi egregiae scilicet atque eruditae, quae Personne auctoris fert nomen, qualis laudatur in analibus a Canstatt<sup>2)</sup> editis, qui his fere est usus ver-

2) Canstatts Jahresbericht über die Fortschritte in der Pharmacie im Jahre 1857, pag. 28, Abtheilung I.

bis: „Sententiam ille (Personne sc.) tulit, cannabi partes volatiles continerentur necesse esse, quum nemo esset qui nesciret, plantas adhuc viventes vaporem exhalare, qui narcoticо effectu admodum forti esset instructus.“

Frustum licet sumas herbae exsiccatae, fore ut non tantum partem volatileм eo inesse, conjicias, sed revera insitam esse, mox persuasum tibi erit.

Etenim auctorem habeo Dr. Martium<sup>3)</sup>, qui affert, oleum aethereum partium plantam constituentium destillando redemptum, non posse aliam sequi rationem, quin sit connubium hydrogenii cum carbogenio; quod scilicet connubium obtinetur opinione a Personne prolatā, quippe qui gasibus Kalio adhibito sese evolventibus oxygenium inesse ratum habeat; quum nihilominus tamen constet, duodenas oleo aethereo saturatas aquae uncias effectu ullo vacare<sup>4)</sup>.

Personne quidem efficaciae cannabeni, quo nomine indicat olei aetherei elaeoptenum firmandae causa, haec profert argumenta; quod vapor obvius halando peculiarem excitet horrorem, neque minus movendi atque agendi insolitum impetum, languoremque subsequentem, quem mox et saepissime quidem animi defectus excipiat; quod sane nihil aliud sibi vult, quam docere, plantam admodum forti insignem esse odore.

3) Studien über den Hanf von Dr. Georg Martius pag. 72

4) Canstatts Jahresbericht 1857, pag. 28, Abtheilung I.

Ut jam hanc quaestionem absolverem, substantiam efficacem, cuius nunc mentionem injeci, copia drachmae fere dimidiae aequante, quinque per dies denuo appositis aquae portionibus recentibus destillavi, ita ut eam, quae ad extremum destillando transierat, portionem omnino fere meram obtinerem.

Aquam eam destillatam, oleo aethereo fortiter saturatam, tum ad denas usque uncias a me haustum, nullius tamen compotem esse effectus, mox persuasus eram.

Nihilominus tamen fieri non potuit, quin mihi capitis dolores quotidie destillanti existerent, et quidem fortissimi. Immo etiam vertiginem percipiebam; quae symptomata provocata esse ab odore eximio, manifestum erat; perinde ac massa, destillationi submissa, efficacia propria sua privaretur necesse fuisset: quod tamen non evenit, quum bina illius grana sumta, eadem quae prius granis binis et dimidio respondissent, symptomata provocarent.

Pars vero efficax, qua sit indole praedita, his experimentis certo erui nequit; quamvis exploratum esse videatur resinam esse consortem indifferentium, quae vocantur materiarum, quippe quae non sit solubilis liquore kali caustici frigide parato, quem calefaciendo colore imbuat admodum helvolo; recte tamen intelligi nequit illa, sive acidi acetici medicinalis ope sit exhausta, sive ex liquore kali caustici sit parata, eadem, quoad

extrinsecus, intercedente cum materiis nuper allatis ratione, cur nihilominus ullo indigeat effectu?

Manu dexteriore spero fore, ut pericula in posterrum quae suscipiantur, huic rei luminis aliquantum affundant. Quare mihi illud experturo secius licuerit, haec obest nunc causa, quod minusculae copiae potens fuerim.

Quod enim vero spectat ad efficaciam physiologicam cannabis Indicae, hoc in primis exhibendum mihi videtur esse, naturam et indolem ejus peculiares difficiles esse definitu.

Symptomatum vero, quippe quorum a scrutatoribus diversis scilicet, Dr. Schroff<sup>5</sup>), Edm. De courtive<sup>6</sup>), Clarus<sup>7</sup>), mentio sit injecta, neque minus eorum, quae mihi occasio sit oblata observandi, tanta intersunt differentia ut, quoad Clarus<sup>8</sup>) censem, tantum ex hominum singulorum varietatibus, nec non ingenii et indolis gradibus, animique affectionibus multimodis originem fontemque derivent, conjectare liceat. His sane ex periculis omnibus factis equidem concludi posse credo, qualiacunque inter se differant symptomata, semper tamen illa duas esse ad series revocanda, quae possint referri aut ad vigorem vitalem praecipue aductum aut imprimis depresso.

5) Lehrbuch der Pharmacologie von Dr. Carl D. Schroff. 1856.  
pg. 1492.

6) Pharmaceutisches Centralblatt. 1848. Band I. pg. 445.

7) Canstatt's Jahresbericht. Abtheilung I. pg. 214.

8) Ebendaselbst pg. 213.

Quo priore in casu symptomata alcoholicis haud disperia eveniunt; dum ea ex minimis animi motibus et quidem jocosis orta, gradatim a summis irritationis incrementis, temulentiae ad instar accendentibus, excipiuntur; semper tamen, quod et fieri solet altera in serie, conscientia integra manente.

In altera vero serie, qua vigoris vitalis praecipua exsistit deminutio, et symptomatum intercedit similitudo cum narcoticis, primae seriei symptomata haberi possunt, nonnisi prodromi breves admodum, viginti quum per sexagesimos durent, nedum grati sint; dum eo in casu quo prima series praevalet, symptomata vigoris vitalis depresso nascuntur, ut incommoda leviora, qualia subsequi solent alcoholis mediocrem crapulam.

Quibus cum virium vitalium praecipua deminutione obviis symptomatis et ea favent, quae Dr. Clarus<sup>9)</sup> est expertus, nec non illa, quae mihi scilicet ipsi, diversa cannabis Indicae praeparata examini quum submitterem, experimentis in me faciendis observanti licebant; quorum brevibus mentionem nunc jam facturus sum. Semper vero hora tertia exacta, dosibus parvis, granis duobus resinae assumtis, exaltatio aliqua insisterebat; quae ut plurimum vigenas vel usque vigenas ad quinas sexagesimas perdurabat, quam tum excipiebant inertia et lanquor communis, taedium cuiusvis animi ac corporis negotii. aurium tinnitus strepitusque, caput

tum ponderosum movendo sensum percipiebat, quasi quid illi inesset fluidi, nec non oculorum exstabat scintillatio. Pulsus frequens centenos inter et vigenos centenos fere ictus praebens, hoc statu exeunte, qui horas circiter ternas usque ad quaternas consumebat, ad ictuum, normae qui conveniret numerum paulatim decidebat.

Auctore quidem Martio<sup>10)</sup>, qui censem majoribus licet dosibus ingestis nulla apparuisse symptomata periculosa, equidem, quoad periculis in me institutis nixus, illa expertus sum, doses haud ita fortes quam sumpssimem, (octava scilicet hora matutina duo a me sumta sunt grana resinae, post vero meridiem tria grana mox cepi), nullo modo possum, quin oppugnem his relatis, quantum quidem ex symptomatis nunc afferendis, utramque illam dosim subsecutis, satis cuique perspectum est.

Jam vero symptomata, modo allata, temporum intervallis interpositis minoribus, celeri deinceps decursu gradum summum ascendebant; pulsus acceleratus, ad centenos et quadragenos usque offerens ictus spatio sexagesimae, cordis palpitatio vehemens, neque minus carotidum pulsatio fortis, quo accedebat vertigo, inguebant; inquiete infanda ingentique animi tumultu corruptus non potui quin, invita ope pedum me ultra non ferentium; tamen duorum praesentium amicorum fulero utens, hic illucque continuum in cubiculo cursum fle-

ctens, deambularem, donec viribus plane exhaustum lectulo me recumbere. Quo facto, extremitatum muscularum singulorum convulsiones, spasmusque tonicus, qui vocatur trismus muscularum manducatorum apparere. Cui statui dein decem fere sexagesimas sistenti confectio virium communis locum cessit: extremitatibus superioribus nec non inferioribus refrigerentibus, muscularum textura relaxata, cute quidem, initio quae ex pallida flavescentem se offerebat, albido prorsus colore obiecta; facie tum lurida, oculis splendentibus, palpebrisque nimium rubefactis.

Jam vero quinque post sexagesimas evenit, ut corpus perfunderetur grati caloris sensu, quem mox somnus est subsecutus, qui tamen non erat continuus, sed interceptus, ex quo imminentibus somniis vivis ac perpetuis pavidus excuterer.

Me paulisper lassitudine affectum die altera salvum fere atque integrum sensi. Pupillae scilicet dilatationem, quam Dr. Schröff<sup>11)</sup> in omnibus suis experimentis observasse se affirmat, neutquam statuere potui; etiamque effectum, quem exhibeat extractum in secretionem atque excretionem, si quis omnino adsit, non nisi parvi habendum esse, omnes fere scrutatores una voce concinunt.

Vescendi vero nimium appetitum, quem Mar-

11) Lehrbuch der Pharmacologie von Dr. Carl Schröff. 1856.  
pag. 493.

tius<sup>12)</sup> laudat, cunctis in primis minoribus sumtis dosibus semper percipiebam.

## P a r s a l t e r a.

### Lactucarium.

Lactucario eadem fere est paratio quae opio; et quidem retinetur atque e lactuca sativa, atque e virosa. E lactuca sativa, quod obtinetur Dr. Dierbach<sup>13)</sup> praeveniente, fert nomen lactucarium verum, quale etiam in Germania atque in Francogallia paratur. Id vero lactucarium in commercium venit massis rotundis, duris, colore retinentibus fuscum, odoremque opio haud assimilem et saporem amarum.

Quorum duo in promptu mihi sunt exempla, alterum anno 1857 paratum, alterum annis nonnullis quod est majus. Praeterea praesto mihi est succus expressus et inspissatus lactucae<sup>14)</sup>, quod est extractum lactucae Parisiensis; quominus, ut fert Dierbach<sup>15)</sup> aliquanto majoribus dosibus hoc ingeratur, nihil jam impedit. Quo teste, quem sequamur licet, praeparatum utrumque, modo dictum, bina cuius si ingesseris

12) Martius Studien über den Hanf. pag. 77.

13) In den neuesten Entdeckungen der materia medica von Dr. Joh. Hin. Dierbach. Bd I. 1837. pag. 117.

14) Ebendaselbst pag. 119.

15) Ebendaselbst pag. 121.

grana, magnum saepenumero provocasse languorem cum doloribus artuum et vertigine aliisque symptomatis obviis, patet; quae symptomata praeparato, quod supra memoravimus, assumto majoribus demum dosibus ingestis se praestitisse, perhibet.

Ex altera vero planta, virosa scilicet, lactucarium fit virosum, quod praecipue obtineri solet in Anglia. Praeparatum hoc siccum se praebet, fragile, e fusco colore imbutum flavo, helvolo hici llique, odorem fert nimium narcoticum, ac saporem retinet amarum; et non venditur, nisi frustulorum pisiformium, raro autem majorum ad instar. Hujus equidem lactucarii duo teneo exempla, bene scilicet, quoad ex signis modo allatis patet, conservata. Id lactucarium videlicet Dierbach<sup>16)</sup> et Pereira<sup>17)</sup> auctoribus, minores quam illius invexeris doses, jam effectu non carere perhibetur.

Suffragio vero ab Orfila<sup>18)</sup> lato, drachmam dimidiā extracti, quam a pharmacopola aliquo sibi emerit, forsitan non recens paratam, suffecisse ad canem mediocrem tuendam, obtinetur.

His modo relatis innixus argumentis, ut, quod memoravi, lactucarii parte efficaci cruta ac statuta, illius comparationem cum cannabis Indicae parte efficaci in-

16) In den neuesten Entdeckungen der materia medica von Dr. Joh. Dierbach. Bd. I. 1837. pag. 121.

17) JONATHAN PEREIRA's Handbuch der Heilmittelkunde, bearbeitet von RUDOLPH BUCHHEIM. 1848. pag. 433.

18) Lehrbuch der Toxicologie von M. ORFILA, bearbeitet von DR. G. KRUPP. Th. II. 1853. pag. 260.

instituerem, jam deinceps praeparata quinque singula modo dicta, efficacie eruenda causa ad examen vocavi. Summaque rerum, ut brevibus facto me expediam haec est, quod exploratum habeo, ne ternis quidem p. d. adhibitis drachmis praeparatorum singulorum ullum effectum respondisse, quumque ob anni tempestatem quae nunc, praeparati recentioris adipiscendi occasio nulla adsit, manum ab incepto qn in abstineam jam non possum.

## **Theses.**

Censeo:

- 1) Cannabim Indicam nisi magna ad-  
hibita cautela, in usum vocare non licere.**
  - 2) Cannabim Indicam, ut ecbolicum,  
rejicere opus esse.**
  - 3) Illam vero, ut aphrodisiacum, com-  
mendandam.**
  - 4) Lactucario nisi recens parato, pre-  
tium nullum inesse.**
  - 5) Typhorum curationem abortivam  
rejičiendam.**
  - 6) Obliterationem vaginae in fistulis  
vesico-vaginalibus, annis climactericis non-  
dum appetentibus, tantummodo licere post  
ceteras operationes irritum redditas.**
-